

DISSERTATIO THEOLOGICA,

SISTENS

*CONSPECTUM SCIENTIÆ  
PASTORALIS,*

*IN USUM SEMINARII THEOLOGICI;*

---

CUJUS PARTEM PRIMAM;

APPROBANTE MAX. VENER. FAC. THEOL. ABOËNSI,

MODERANTE

JACOBO BONSDORFF,

S. S. Theol. Profess. & Licent.

*publico examini subjicit*

SIM. WILHELMUS APPELGRÉN,

Ostrob,

In Auditor. Physico d. XIV Maji MDCCCVIII.

h, a, m. c.

---

ABOË, Typis Frenckellianis,

/.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 311

LECTURE 1

MECHANICS

1.1 Kinematics

1.2 Dynamics

1.3 Energy

1.4 Momentum

1.5 Angular Momentum

1.6 Oscillations

1.7 Relativity


1.8 Quantum Mechanics

1.9 Statistical Mechanics

1.10 Electromagnetism

1.11 Optics

1.12 Modern Physics



B. L.

Quæ sit præcipua ratio, cur ad edendum quendam Scientiæ Pastoralis conspectum applicuerimus animum, quum tanta tamen ex omni ævo, hodierno imprimis, essent doctissimorum virorum in hocce eodem genere summa cum diligentia elaborata scripta, breviter in antecessum indicasse convenit, ne levitatis cujusdam aut temeritatis culpam contraxisse immerito videamur.

Sunt vero pleraque, ex Antiquorum hausta voluminibus, Pastoralis artis principia nostris temporibus minus, quam illis, propter diffusum & polemicum scribendi genus, accommodata. Quod autem emendarunt & de novo addiderunt Recentiores, tam varium & copiosum, quin etiam haud raro difficultatibus scrupulisque tantis refertum esse deprehenditur, ut nisi delectum quendam rerum librorumque facere discant futuri doctores Ecclesiæ, parum absit, quin multis se implicari ambagibus atque in devia aberrare sentiant. Progressum enim & vicissitudinem Theologici systematis in Protestantica nostra Ecclesia presso sequitur pede Pastoralis omnis doctrina & praxis, adeo ut quæ moderatio animi in scientifica rite teneatur arte, ea quoque in populari se exferat institutione;

A

contra

contra vero, quod novitatis studium in illa  
gliscere incipiat ac dominari, idem etiam in  
hac sensim invalescere cernatur. Neque ta-  
men desuere sagacissimi Theologi, utramque  
Theologiæ partem, (puram quasi & applicatam,  
Acroamaticam & Popularem), optimo muni-  
entes præsidio; Quorum insistentes vestigiis,  
si summam ea, quæ sive sparsa eorum in  
scriptis, sive de industria & bene disputata  
leguntur, atque ulteriori digna sunt scrutinio  
proferamus, rem sane futuris Ecclesiæ mini-  
stris non supervacaneam agi censebimus. Bre-  
vitati vero tanto magis erat studendum, quan-  
to strictius juniorum progressus, nostraque  
tempora, spectat hæc omnis delineatio. Quod  
reliquum est, Bibliothecam Theologicam se-  
lectam, per universum Theologici studii am-  
bitum commendavimus, ut brevis suppeteret  
studiosis notitia Scriptorum maxime utilium,  
Ceterum locupletiores, quos laudabimus, in-  
dices adeant provectiores.

---

---

# PROTHEORIA,

de

Propædeumatibus Theologicis Pastoralibus-  
que, & methodo studendi Theologiam.

---

## CAP. I.

### *De Scientiâ Pastorali universa.*

§. 1. *P*astoralis scientia (latissimo sumta sensu) est complexus omnium præceptorum de officiis ac juribus Pastoris s. doctoris Ecclesiæ, sive theoria omnium, quæ in Ecclesiæ usum a Pastore agenda sunt atque in munere suo obtinenda. Doctrina igitur hæc tam in præscribendis officiis, modoque administrandi universum doctoris munus, quam juribus versatur dimetiendis. Ut enim philosophia moralis officia & jura hominum mutua proponit, ita Pastoralis prudentia, quæ specialem efficit partem Theologiæ dogmatico-moralis, seorsimque tractari propter rerum ubertatem solet ac debet, specialia hæc in Ministerio Ecclesiastico observanda tradit.

§. 2. Præcipua vero hujus practicæ & applicatæ Scientiæ momenta ad triplex referri possunt genus, quemadmodum religio ipsa Christiana tria habet, indivulso nexu conjuncta, consilia; *Instituendi* scilicet, *emendandi*

*dandi* perficiendique, & *beandi* animum humanum. — Summa nempe felicitas animi, quam religio tantopere spondere christianis valet, emendatione mentis atque fidei & virtutis non fucatae studio continuo, tanquam suo adminiculo & conditione innititur; nulla vero praxis pietatis sine iusta ejusdem ceterarumque, de Deo & Christo, veritatum theoria commode concipi quidem potest. Est hic perfectionis humanæ gradus ab intelligendo ad libere sentiendum agendumque, a volendo & agendo ad fruendum quasi ascendens, in religione maxime conspicuus; quare etiam Paulus dilerte Christum, religionis salutisque principem, celebrat *sapientiæ* (σοφίας), *justitiæ* & *sanctitatis* (δικαιοσύνης και ἁγιασμοῦ), atque beatitudinis, a *condonatione* imprimis pendens, (απολυτρώσεως) auctorem, 1 Cor. 1: 30. Atque quum doctore religioso commendet idem Apostolus lectionem Scripturæ Vet. fœderis 2 Tim. 3: 16. binas quoque complectitur partes eximii, quem Scriptura pollicetur, usus, hisce: ἁγία γραφή-ὠφελιμος-προς διδασκαλίαν, ἐλεγχον, institutionem & demonstrationem, προς επιανορθωσιν, προς παιδείαν εν δικαιοσυνη, ad emendationem & virtutis exercitium; quibus accedit tertia pars v. 15 nominata, εις σωτηριαν δια πισεως της εν Χριστω ιησε. Pastoralis ergo omnis prudentia ad hunc triplicem jure refertur scopum attingendum.

§. 3. In methodo autem omnia Pastoris Evangelici, tam generalia quam specialia, officia & jura tractandi, in diversa abierunt Theologi. Alii nimirum monita quævis pastoralia sine nexu quodam mutuo, sparsim proponere, alii temporis rationem habuere, quo minister Ecclesiæ muneri suo ecclesiastico admoveatur eoque fungitur; alii potius in diversas classes ea, quæ a Pastore agenda sunt, distribuerunt. Illi quidem, jam inde ab antiquiori ævo ad tempora Reformationis & quod excurrit, nullum scientificum observarunt ordinem. Illi, ex Seculo XVII ad nostra tempora propius, ordinem haud quidem male ita secuti sunt, ut sive generalissimis de persona & vita Pastoris traditis, spartam ejus & fortunam exponerent, (e. c. HARTMAN *Pastorale Evangel.* cum quo FECHTIUS & PONTOPPIDAN al. fere coincidunt), sive prælibatis 1) de prudentia ante muneris Pastoralis susceptionem, & 2) circa ingressum sacri ministerii, attenderent 3) ad ipsam muneris administrationem, & tandem 4) ad egressum ministri ex officio. (DEXLING *Instit. prudentiæ Pastoralis*. Recentiores autem melius pro diversa muneris, circa quod occupatur Ecclesiæ doctor, ratione, partes Scientiæ Pastoralis seorsim tractarunt, Homileticam, Catechetica, cet., licet easdem vario modo disposuerint. Jurisprudentiam Ecclesiasticam exclusit NIEMEYER, addidit vero rite NÖSSELT; Liturgicam addidit ille, non probante hoc.

§ 4. Receptum hunc morem tractandi universam Pastoralem Scientiam quoque nos servabimus eo modo, ut præmissa quædam *protheoria* de ministrorum persona, vita, præparatione ac methodo studendi, per quinque partes potissimum muneris ipsius administrandi varios exponamus gradus modosque. Prima erit *Homiletica* s. ars concionandi; Secunda, *Catechetica*, rationem tradens rudiores instituendi; Tertia, *Liturgica*, de cultu & cerimoniis sacris externis agens; Quarta, *Specialis, Prudentia Pastoralis* circa casus conscientiæ non minus, quam mores & disciplinam externam Ecclesiæ, fideliter versans; Quinta demum, *Jurisprudentia Ecclesiastica*, in legibus Ecclesiasticis iuribusque Ecclesiæ & ministrorum definiendis occupata.

§ 5. Ut porro appareat, quam indefesso studio Pastoralem prudentiam inde ab Apostolico ævo tractaverint ministri Ecclesiæ, eandemque junioribus imprimis & futuris doctoribus commendaverint, ut quoque ipsa adhuc commendanda sit; præcipuos Scriptores hanc circa materiem, generalius & chronologico ordine, nominasse juvabit; specialia vero scripta, ad suum quodque locum referemus. Ministrorum S. vitam & officia delinearunt jam *Constitutiones Apostolicæ*, Clementi Romano falso adjudicatæ, CYPRIANUS in suis *Epistolis* (Sec. 3:0), AMBROSIUS (Sec. 4) libro de *officiis ministrorum*, CHRYSOSTOMUS



SOSTOMUS sex Libris *de Sacerdotio* & HIERONYMUS Epist. *de vita Clericorum* (Sec. 5), Præsertim vero GREGORIUS M. *de Pastoralis cura* & ISIDORUS HISPAL. (Sec. 6 *de Sacerdotum in Ecclesia officio*. Neque otiosus medio ævo (Sec. 12) erat Abbas BERNARDUS, libris *de Consideratione ad Eugenium Papam* atque *moribus & officio Episcoporum*. Reformationis autem seculo bene docuit non modo FRASMUS in *Ecclesiaste*, & MELANCHTON *Exam. Ord.* sed quoque per omnia sua scripta LUTHERUS, cujus monita collegit CONR. PORTA sub nomine: *Pastorale Lutberi* 1582. Ceteros, nominatim GERHARDUM in *Loc Theol.* QUENSTEDTIUM (*Instruct. cathedral & Ethica Pastor.*), BALDUINUM (*Institut. ministrorum verbi*), CHRIST. CHEMNITIUM (*Instruct. fut. Eccl. ministri*), FRANCKIUM (*Monit. Pastoral.*), KORTHOLIUM (*Pastor. fidel.*), præter citatos § 3 aliosque, oblivioni tradidit minime det. (conf. BUDDÆI Hægoge, ALNANDER *Theol. Biblioth.* & NIEMEYER *Predig. Biblioth.*) Immortalia autem sunt merita Recentiorum Auctorum, qui pastoralem scientiam pragmaticè tractarunt: PONTOPPIDAN (*Collegio Pastoralis*), JOH. AUG. NÖSSELT (*Anweisung zur Bildung angehender Theologen*), AUG. HERM. NIEMEYER (*Handb. f. Christl. Religionstheor.*), ZWYI TH., GEORG. FRED. SEILER (*Grundsätze zur Bildkünst. Volkslehrer*), GIBTSCHUZ (*Leitfaden zur Vorles. über die Pa-*

*Pastoral-Theologie*), CHRISTIANI (*über die Bestimm., Würde u. Bild. christl. Lehrer*); quibus addantur præcepta, quæ dispersa in HERDER *Briefe das Studium der Theologie betreffend*, *Journal für Prediger* a NIEMEYER & WAGNIZ editis, (nec penitus rejectis FRESENII *Pastoral-Sammlungen* cet.) reperiuntur. Neque tamen omnibus hinc pastoralibus scriptis promiscue, sed cum delectu, æquitate & modo utendum esse postulabit æquus rerum arbiter; sic nimirum reputent secum hujus scientiæ alumni, parum capi posse ejus elementa, nedum maturiorem parari progressum in ipsa praxi, nisi elegantissima recentiorum perlegant compendia, nominatim PONTOPPIDAN, NÖSSELT, SEILER, NIEMEYER al. eademque cum nonnullis ex antiquiori aut Reformationis & subsequenti ævo conferant libris; Quo quidem studio optime semet contra præjudiciorum omnem vim munire poterunt prudentes.

---

 CAP. II.

*De Ministerio Ecclesiastico.*

§. 1. *Ministerium Ecclesiasticum* est munus sacrum, Divinitus institutum atque idoneis doctoribus s. ministris concreditum, omnia quæ ad docendum, perficiendum atque beatum

dum cœtum Christianum bonumque ordinem servandum pertinent, sollicita verbi Div. prædicatione & Sacramentorum aliorumque rituum administratione, observandi.

§. 2. *Munus docendi* moresque emendandi primitus a Christo atque Apostolis ejus, utpote extraordinaria via edoctis & missis, peragebatur, liquidem Divinum id erat & Divina suffultum auctoritate, nullo vero modo civitatis juribus sive consiliis inimicum, sed apprime inserviens; Vita enim civilis a Religione pendet.

§. 3. Ad veram vero instituere religionem, mentemque ad pietatem omnigenam excitare, certe omnium quoque civium Christianorum mutuum est, per naturam & conscientiam ipsis injunctum, officium. Immo habuit Christus pro consilio, quemadmodum per Prophetas jam (v. c. Jer. 31: 33. 34. *hoc erit factus — Inscrībam legem meam —*) prædicebatur, sectatores suos omnes ad veram fidem sanctitatemque deducere ita, ut ipsi quoque alios in salutis quasi pertraherent viam. Unica fidei norma, spes, salus, eadem meta —  
 ἑνότης πνεύματος, πίσεως — Eph. 4: 3 - 5.  
 σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς ἰρήνης. Ἐν σώμα καὶ ἐν πνεύμα. — v. 13. μέχρι καταστήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίσεως. Male vero SCHWENKFIELD dudum, Fanatici, & HERNHUTIANI adhuc arbitrantur, omnes Christianos pares

pares esse & idoneos ad ministerium salutiferæ doctrinæ obeundum. — 1 Pet. 2: 9. βασιλειον ἱερατευμα de omnibus quidem Christianis, sed tropice valet; & 1 Joh. 2: 20. 27. χρισμα υπετια *Spiritualis* nihil aliud innuit quam dona Spiritus Sancti ordinaria (cfr. Act. 10: 38.) — & Paulus ipse Eph. 4 11. expresse monet, diversa esse docendi munera, Ceterum in primitiva & Apostolica Ecclesia multi doctores erant extraordinarii.

§ 4. *Necessitas* certi & separati muneris Ecclesiastici probatur 1) ex infinita diversitate, ruditate & impotentia ingeniorum humanorum; Etenim non omnes Christiani eadem pollent facultate & ingenio, ut tibi ipsis suisque indigentis in religione satisfacere possint; 2) præparatio ad munus docendi obeundum, necessaria est, nec potest in quocunque vitæ genere obtineri; 3) Scopus ipse & intentio servatoris erat, ut non modo Apostoli, sed post eos alii, docerent ac propagarent ejus Religionem in mundo. Math. 28: 19. 20. Expressa erat præceptio Christi, cui resistere nefas. Ita quoque Apostoli ex mandato Christi constituerant doctores, ministros & pastores Eph. 4: 11 docendique genera varia perhibet Paulus 1 Cor. 12: 28. ut quoque ipse utebatur Titi & Timothei ministerio, quibus etiam facultatem alios constituendi episcopos diaconosque impertit. 4) Pestime esset consultum religioni, si cunctis Ecclesiæ membris

membris docendi munus adjudicaretur. Quanta enim hinc suboriretur perturbatio, quemadmodum apud fanaticos! Catecheticum ergo & concionandi munus imprimis in Pastores legitimos aliosque devolvendum est, quia salus Ecclesiæ & civitatis publica aliter subsistere ac promoveri nequit. Est vero necessitas hæc hypothetica, & ordinata — Rom. 10: 14, non absoluta, conf. SPALDING *om Prediköamb. nytta.*

§. 5. *Dignitas muneris* hujus est tota quanta interna & relativa, non absoluta & exclusiva; Omnis enim status hominis atque negotium omne a Deo sancitum est, ac dignum quod administraretur. Sentiant doctores Ecclesiæ se non agere Dei sive Christi personam, nec auctoritate Divina pollere. Sunt tantum *οικονομοι μυστηριων Θεου* 1 Cor. 4: 1. Abiit superbia omnis — Sed ex altera parte æquum est, in pretio habere munus religionis; Appellatur enim usitatissime *διακονια της καταλλαγης* 2 Cor. 5: 18. & ministri *διακονοι καινης διαθηκης, Θεου λειτουργια* Act. 13: 2. *λειτ. πισεως* Phil. 2: 17. *οικονομια* 1 Cor. 9: 17. *επισκοπη* 1 Tim. 3: 1. *πρεσβυτεριον* 1 Tim. 4: 14. est seniorum ordo in Ecclesia). Conf. EWALD *üb. wahre u. falsche Predig. Würde* in 3 P. c. 4. *üb. Prediger Beschäftigung*

§ 6. *Muneris origo* est a Deo, ordinato modo, atque a Christo, salutis ac religionis

gionis Statore, cfr. cit. loc. — & Math. 9: 38. *δεηθητε τε κυριε τε θερισμω ινα εκβαλη εργατας εις τον θερισμον.* Mediata via ministerium s. munus Ecclesiasticum confertur ab Ecclesia, cui verbum & Sacramenta sunt concessa, & cujus in usum pastores vocantur. Frustra hoc jus sibi arrogarunt Catholici principes, & magistratui politico Arminiani. Nec plebi competit, sed omnibus ordinibus civitatis s. Ecclesiae. In primitiva Ecclesia presbyteri, doctores & diaconi ab omnibus membris eligebantur. Eadem quoque fuit praxis Ecclesiarum usque ad introductam hierarchiam Papalem.

§. 7. *Potestas Ecclesiastica* ministerio Ecclesiastico adjudicata est ab ipsa Ecclesia; Interna enim jura & conscientiae pacem inviolabilem retinet Ecclesia ipsa. Quatenus autem Magistratus civilis in omnibus promovere salutem publicam debeat, jura sibi a civitate universa, adeoque etiam Ecclesia, habet assignata & ad defendendam religionem (*jus majestaticum προφυλακτικον* s. *negativum*), ut rite observarunt PUFFENDORF, THOMAS, BOEHMER, & ad externa sacra promovenda (*jus collativum & collegiale*). Collegialia enim Ecclesiae jura sunt, alia omnibus membris Ecclesiae propria, alia pastoribus, alia Magistratui sive Consistoriis tacita Ecclesiae consensione translata. Ministris Ecclesiae ergo potestas non absoluta, sed relativa competit & doctrinalis,

nalis, quatenus pro scopo habent docere, emendare & salutem civium Christianorum prospicere. Unde etiam sequitur, nec essentialia neque externa pro lubitu esse mutanda, sed omnia ad præscriptam normam exigenda. Si quæ sint res restaurandæ, Ecclesiæ hoc ipsum est jus reformandi; Multa tamen sunt, quæ a Pastoris prudentia ac munere pendere voluit Ecclesia, speciatim in Homilet. & Catechetica docendi arte, cet. (De his vero uberius in Jurisprudencia Ecclesiastica).

## CAP. III.

*De Ordine Ecclesiastico.*

§. 1. *Ordo Ecclesiasticus* est complexus omnium Ministrorum Ecclesiæ, sive sint doctores & pastores, sive inspectores, sive diaconi & ministri inferiores usui Ecclesiæ invigilantes. Inspectorum & diaconorum officia ac jura exponet Jurisprudencia Ecclesiastica. Doctorum vero ratio hic habenda, quatenus pastoralement agunt personam.

§. 2. *Denominationes & Tituli*, quibus doctores in V. & N. T. insigniuntur, varii sunt, nec de omnibus promiscue valere possunt. In V. T. Sacerdotum munus erat, ex præscripto Mosaico ritus sacros peragere & legem Mos. prælegere, unde Mal. 2: 7.

*labia*

labia sacerdotis doctrinam custodient; Levitarum fuit ministrare; Prophetarum demum, Samuelis & Eliæ post tempora, docere, monere atque futura prædicere; quare vocantur Prophetæ, viri Dei, filii Prophetarum. In N. T. Christus, summus propheta, discipulos suos ablegavit ad doctrinam suam propagandam. Vocantur μαθηται, αποστολοι vulgatissime, sed tropice φως κοσμου Math. 5: 14. quia lumen veritatis doctrina tua & vita accenderent; (Christiani vero filii lucis Phil. 2: 16) Sal terræ ἀλας τῆς γῆς Math. 5: 13. quia ad emendandos & beandos alios omnem operam suam, salis inst r, conferre debent; operarii messis ἀργαται θεισμος Math. 9: 37; cooperarii Dei συνεργοι — 1 Cor. 3: 9; dispensatores mysteriorum οἰκονομοι & ministri ὑπηρεται Cap. 4: 1. 2 Tim. 1: 3. λειτουργοι sacerdotes Rom. 15: 16. — ἀλιεις ανθρωπων piscatores — Math. 4: 19; bonus odor vitalis ὁσμη ζωης 2 Cor. 2: 16 Ut vero Apostoli ex præscripto Christi alios doctores & discipulos constituerant, ita quoque eosdem varie denominarunt, v. c. προφητας ob docendi munus, s. ordinarium s. extraordinarium Eph. 4: 11. 1 Cor. 14: 3. viros Dei ανθρωπος τε θεος 1 Tim. 6: 11. (de Timoth.) diaconos, cooperarios συνεργους 1 Thess. 5: 2. commilitones, συστρατιωτας κ. αποστολους Phil. 2: 25. (de Epaphrodito) 2 Cor. 8: 23. pastores & doctores ποιμενας και διδασκαλους Eph. 4: 11. duces Ecclesie ηγουμενες



μηνες Ebr. 13 7 *Episcopos* Tit. 1: 5. 7. *ministros*, *servos*, *vigiles*, *pædagogos*, immo quoque *angelos* Ecclesiæ i. e. legatos, Apoc. 1: 20. 2: 1. cet. *presbyteros* & *seniores* 1 Tim. 5: 17. Ex his autem & alis titulis nemo sanctitatem quandam & excellentiam s. potestatem & auctoritatem arriquet ministris Ecclesiæ, licet quoque a Paulo δοξα χειρας 2 Cor. 8: 23. esse censeantur, Idem vero honos omnibus veris Christianis quoque competit, quia appellantur γενος εκλεκτον, βασιλειον ιερατευμα 1 Pet. 2: 9. Nostris temporibus vocantur *doctores*, *pastores*, *ministri Ecclesiæ*, *Clerici* (a κληρος, quia ad κληρον carum Dei peculiū pertinent, ut cetera Ecclesiæ membra) *diaconi*, *parochi*, e. i. p. Ceterum diaconos Ecclesiæ in rebus ac ritibus ecclesiasticis ministrantes, variis generibus atque ex utroque sexu instituit adhibuitque primitiva Ecclesiā; ferioribus vero temporibus ad virilem tantum hæc ministeria sexum restrinxit prudens pastoralis cura.

§. 3. Ex annalibus Ecclesiasticis constat, ordinem quendam fuisse observatum inter Ecclesiæ ministros, eumque necessarium adhucdum esse, itidem patet, Christus quidem Apostolos suos sine discrimine ablegavit & donis instruxit ad munus suum gerendum. LXX discipulos similiter æquales fuisse, ad fidem est pronum. Tanto minus quædam superioritas Petro Apostolo præ reliquis erat vindicata,

cata, quanto certius constat, tam Petrum quam Paulum, Romanam visitasse Ecclesiam. Nec Petrus majori auctoritate pollebat quam Johannes & cet. Romano Pontificia est fabula, Petrum per 25 annos Episcopum Romæ fuisse fingens, licet propter testimonia IRENÆI, ORIGENIS, LACTANTI, cet. haud negari debeat, eum Romæ per aliquod tempus vixisse & martyrium subiisse (cfr. CAVB de *vita Petri*, SCHROECK *Kirch. Gesch.* T. 2). Crescente vero cœtu Christianorum Apostoli ipsi, utpote minime omnium Ecclesiarum commodis satisfacere valentes, socios sibi adjunxerunt; Paulus nominatim *Barnabam*, *Titum*, *Timotheum*, Petrus *Marcum*, alique alios sine dubio, atque præter hos suos coadjutores habuerunt multos collegas, diversis nominibus insignitos extraordinariisque instructos donis, (Eph. 4: 11.) *evangelistas*, speciali rudiores docendi munere occupatos, *prophetas*, non tam vaticinandi quam vaticinia explicandi ac docendi pollentes arte, quales *Agabus*, *Judas*, *Silas* & filia *Philippi* Act. 11: 28. 15: 32. 21: 10. Temporis progressu Presbyteri s. Seniores & Episcopi s. antistites constituebantur, tam ad docendum quam dirigendum cœtum, pauperum habendam curam & eleemosynas distribuendas; nec inæquali honore inter se distincti Apostolico saltem erant ævo, ut patet ex Act. 20: 17. 28. & Hieronymo. Postea vero circa medium Sec, 2; di Episcoporum κατ' ἐξοχήν

ἐξοχὴν enata major dignitas ac cura; sed ipsa longe latius Sec. IV:º sequ. Constantino Imperatore potissimum auctore excrevit. Antecellere aliis inceperunt Præsules & Patriarchæ *Roman. Antioch. Constantinop. Alexandrin. Hierosolymit.* Hinc ordo Ecclesiasticus varias divisus fuit in classes, majores scilicet, ad quas pertinuerant *Episcopi, Presbyteri* s. Sacerdotes & Parochi, *Diaconi* (cum sub-Diaconis); Minores vero, ad quas *acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarii* — cfr. EUSEB. *Hist Eccl.* L. 6. c. 45. BINGHAM *Orig. Eccles.* L. 3. c. 1. Quæ nostris temporibus facta sit divisio, omnibus notum est & comprobatum; Bonus vero ordo in Ecclesia non respuendus.

§. 4 *Requisita* boni Pastoris & Ministri Ecclesiæ generalia duplicis generis sunt, & quæ ad corpus & animum. *Dona corporis* non quidem tanti sunt æstimanda, ut quondam in jure Mosaico, quod Sacerdotio perfectam corporis integritatem injunxit. Lev. 21: 16. (Recensent quoque Talmudici 142 vitia, quibus carere debent sacerdotes). Æquum tamen est, ut corporis membra non sint dehonesta, ne religio temere in calumniam vertatur; Sanitas adsit corporis ac robur, habitus gestuum decens & urbanus, nec tamen nimium exquisitus, oris ac vultus non fucata comitas, lingvæ jucunditas & quædam volubilitas, externa vivendi ac conversandi facilitas, puritas, decentia & q. rel. *Animi dotes*  
B
in

in intelligendi facultate imprimis adsint, ingenium scilicet, iudicium, memoria cet. atque constanti industria & exercitio excoltæ sint oportet. Est hæc *ἰκανότης*, quam Paulus 2 Tim. 2: 2. requirit, & Christus Luc. 12: 42. (ut *ὄσλος* sit *φρονίμος*). Dona animi dici solent & naturalia & acquisita. Ad primam classem pertinent *dotes* ingenii, phantasia, memoria cet.; ad Secundam Cl. α) solida *cognitio* & eruditio, β) *probitas morum*, (dona spiritualia). Sine utro & studio, lectione ac meditatione, emortua est ac inutilis omnis vel ingeniosissima mentis facultas; Sed utraque vana merito iudicabitur sine animi ipsius probitate, fide, sedulitate. Quanquam enim irreginitus i. e. vitiis deditus doctor multa bene tenere ac docere possit, impedimento tamen & ostendiculo continuo scelesti ejus habendi sunt mores. Spiritualis ergo *ἰκανότης*, vera emendatio animi & morum, pietatis studium & exercitium, sive experientia quædam practica accedat. Sit bene moratus, tam in externis actionibus, quam internis sensibus, prout Paulus 1 Tim. 3: 2—5. Tit. 1: universam doctoris vitam privatam & domesticam adumbrat. (De his autem in 4 parte, s. Prudentia speciali, præcipiendum erit). Specialia vero requisita animi, quoad ipsum munus administrandum sunt: 1) *sedulitas* & *industria*, non modo in instituendo, verum etiam corrigendo, emendando, consolando & erigendo Christianorum

porum cœtu, 2) *Fidelitas & sinceritas*, ut vere & ex corde proponat cœlestes veritates, conscientiae suae parens — ορθοτομων τον λογον της αληθειας, 2 Tim. 2: 15. 3) *Animi constantia*, ut ipse expertus sit vim salutaris veritatis, eoque modo intrepide & sine partium studio aut captatione auræ popularis veritatem proponat, mores corrigat e. i. p. ανεπαίσχυντος — αντεχομενος τες — πιεσ λογος ινα δυνατος η και παρακαλει εν τη διδασκαλια τη υγιαινεση, και τες αντιλεγοντας ελεγχειν Tit. 1. 9—11. 4) *Modestia & prudentia*, ut caute & circumspicte doceat, castiget, moderetur auditorum suorum studia. — —

Quoad ipsam ætatem requiritur, ut ad maturitatem annorum & morum pervenerit; etenim qui νεοφυτος est, facile in discrimina & pericula incidit. 1 Tim. 5: 6.

Ante omnia vero necesse est, ut bene præparatus (institutus atque ad spectatam fidem manu ductus) muneri sacro admoveatur.

---

#### CAP. IV.

### *De Præparatione futuri Pastoris & Doctōris Ecclesiæ,*

§. 1. Quandoquidem doctor Ecclesiæ, & quoad privatam suam vitam, & publicum docendi munus, variam gerit personam in civitate & Ecclesia Dei; igitur variis instructus esse debet facultatibus, variisque imbutus no-

titiis. Non sufficit simplicem tenere ideam religionis, quatenus membrum sit Ecclesiæ; civitas quoque & respublica litteraria quædam ei injungit officia; — maxime vero cæteris ipse christianus totam ejus sibi vindicat destinationem. Meminerit ergo doctor religionis, se hominem esse & civem, immo litteratum quoque esse debere, ut sibi ipsi, civitati ac aliis, pro suo munere satisfacere possit. Quanta opus est institutione, ut universo huic consilio idoneus evadat. Primarium vero ejus consilium spectat religionem ac cæterum Christianorum; secundarium esto, ut vitæ suæ privatæ & societatis, sive civilis sive litterariæ, commodis inservire possit. Propterea minime abjicienda est cura familiæ domestica & œconomia; nec artium quarumcunque & Scientiarum sunt respuenda studia, modo res palmaria pro scopo habeatur, nec tantis implicetur doctor Ecclesiæ negotiis politicis, œconomicis aut Litterariis, ut pastorem insuper habeat sive penitus negligat curam. Male egerunt Catholici restringendo Clericorum officia, nec bene agunt, qui munera Pastoralia quibuscunque accumulunt negotiis civilibus. Modus est in omnibus utique tenendus; semperque recogitet quisque *quid valeant humeri, quid ferre recusent.*

§. 2. Antequam quis se studio Theologico, ut quoque studiis in genere, accingat, sit bene *educatus moribusque probis* inde a  
 tenera

genera retat: *imbutus*, necesse est; Etenim incredibile est, quam male tractentur litteræ a juvene, cui levitas animi ac prava consuetudo jamjam increbuit. Perditi mores pellis instar sunt; pietas vero ad omnia negotia utilis. Neque negligenda est oratio, utpote modestiæ christianæ adminiculum summum, siquidem communio cum Deo beata mentem erigit, exhilarat, atque a pravis arcet sensibus exemplisque. Sensus vero religionis, mature animis impressus, ali debet sollicita educatione, exemplis, consideratione naturæ & lectione librorum utilissimorum, quo sic contra omnem licentiam & vim malorum sensuum muniti juvenes, maturioris capaces fiant institutionis. Alterum, quod præmonetur, momentum, tangit *ingeniorum delectum & destinationem* i. *vitæ genus*. Non est festinandum in eligendo vitæ genere, antequam vires ac dotes animi fuerint exploratæ, quod fit sub ipso usu elementarium litterarum. Animi vero inclinatio ad studium Theologicum cito proditur, & dignoscitur ex donis, si ve naturalibus, si ve per educationem & vitæ usum acquisitis excultisque. Ubi tarditas ingenii, memoriæ & phantasie sit aut nimia corporis tenuitas, non est contra naturam &, ut dicunt, invita minerva studendum; neque inclinatio sola sufficit, nisi aptitudo quædam naturalium donorum accesserit. Coactio autem omnis & lucri studium absit.

Vivida

Vivida autem propensio cum delectatione animi conjuncta, est quædam vocatio Dei interna & mediata, quidam nutus Divinæ providentiæ. Nemo immediatam ostendet vocationem a Deo, neque ex altera parte abiteri se patiatur a vera sua propensione, quia paupertate pressus fuerit. Deo committenda est omnis nostra fortuna, omnibusque entendum viribus, ut ad explenda animi nostri desideria, officia & negotia, idonei evadamus.

§. 3. Tanto vero & sororio nexu omnes scientiæ invicem & cum ipsa Religione sunt conjunctæ, ut non nisi cum dispendio quodam separari possint. Quod ad Religionis doctrinam & munus attinet, multæ sunt artes & scientiæ velut in confinio religionis constitutæ, eamque ob causam addiscendæ; Aliæ autem propius hominem & civem spectant; aliæ iterum instrumentales sunt & cuivis studioso necessariæ. Hinc duas in classes dividere placet Scientias futuro Theologo proficuas, quarum altera Præparatoria, altera Instructiva est s. Propria. Illa quidem classis Philologiam omnem Profanam, historiam, philosophiam naturæ ac hominis complectitur; Hæc vero Philologiam Sacram, Theologiam universam & Religionis Historiam ambitu suo continet.

Est hæc Methodologia (rationem tradens studendi Theologiam) atque Introductio ad notitiam librorum in hoc genere universo,  
(Ency-



(Encyclopedia Theologica), a multis bene pertractata; Illa quidem ab ERASMO in *Methodo ad ver. perveniendi Theologiam* Edit. SEMLERI, HYPERIO *de ratione studii Theol.* GERHARDO *Method stud. Theol.* BUDDÆO *Isag. Hist. Theolog* NÖSSELT *Anweis zur Bild. angeb. Theol.* WALCH & FLANK *Einkl. in d. Theol. Wissenschaft* 2 T. 8:o. TOELLNER *Anl z. Fleiss. in d. Gottesgelehrsamkeit*, SEILER *Grundf zur bild künft Volkslehrer, Pred. u. Kathechet.* MURSIMNA & TITTMAN *Theol. Encycloped*; Hæc vero, præter BUDDÆUM *Isag.* & WALCHIIUM *Biblioth. Theol selecta*, imprimis a NÖSSELT *ch. 1. & Anw. zur Kenntniss d. allgem. Bueb. in all. Tb d. Theol.* AUG. GOTTL. KEIL, *systemat. Verzeichniss Theolog. Schriften* 2 T. 8:o. DAV. GOTTL. NIEMEYER & WAGNIZ *Bibliotbek f. Prediger* 3 T. 8:o elaborata. Ceterum consuluisse juvabit Bibliothecas Theologicas recentiores a KRAFT, BECKER & ERNESTI continuo lexu editas, 1742-1777. 33 voll. 8:o. SEILER *Theol. Krit. Betracht. neuer Schrift.* 1779-1787. 3 voll. 8:o. & DOEDERLEIN *Theolog. Biblioth.* 1780-1791. 4 voll. quam congruunt HÄNLEIN, AMMON, PAULUS & GABLER: quibus accedit HENKE *Magasin f. Relig. Philos. Exeg u. Kircb. Gesch.*

§. 4. Inter Elementa studiorum, primum locum sibi vindicat *Philologia* s. studium linguarum, quod non modo ad intelligendum

ac eruendum sensum scriptorum, verum etiam praxin atque accommodationem lingvæ pertinet. Est quippe quædam *institutio*, quam ab aliis narrantibus docentibusque haurimus, & quasi cum aliis *conversatio*. Quam vero necessarium sit Philologicum studium universum, tam ad notitiam, quam sensus ac mores induendos, probatione vix eget. — Partes illius sunt *Grammatica*, *Hermeneutica*, *Critica* & ipsa *Interpretatio* s. Exægelis. Veteres uno nomine Grammatices omnia complectebantur. Ubi methodus discendi lingvas facilis, vera & solida fuerit, non est timendum quidquam difficultatis & morositatis, quam temere multi huic studio adstringunt. Contra vero rite statuitur, cultiorum lingvarum & Scriptorum usum valere ad immensum cognitionis nostræ locupletandum thesaurum, ad præjudicia quævis & portenta errorum debellanda, ad sensus vitiosos eradicandos, pulcri vero & honesti sensum excitandum e. s. p. Neque tantum nobismetipsis proficua erit lectio ac interpretatio librorum diversis exaratorum lingvis, sed quoque aliis bene multis inserviet notitia ac gustus sanior, quem ex aliorum hausimus scriptis. Methodus ipsa hæc ferme erit, ut jactis necessariis fundamentis Grammaticis, ad lectionem probatissimorum Auctorum Prosaicorum, utpote faciliorem, dein vero Poeticorum, accedamus, subinde vero syntaxin verborum per regulas exempla

plaque discamus, interpretationis modum ex Logicis & Rhetoricis principiis eruamus, & Criticam, ubi opus sit, in subsidium compellemus. Frequenti demum lectione librorum peracta scholiisque necessariis suffulta, ex instituto syntaxis & Hermeneutica erit retractanda, una cum practicis scribendi & loquendi exercitiis, sicubi linguam penitus callere nobis sit animus. Prima ergo lectio scriptorum grammatica erit, in veris verborum notionibus, dicendi generibus, structura, synonymiis & idiotismis cognoscendis posita; repetita autem lectio exegetica erit & æsthetica, quocumque demum in scientiarum genere versetur. Atque tum demum in succum & sanguinem vertimus aliorum dicta & enunciata, quum sensum veri, pulchri & honesti elicuerimus. Hic finis est omnis philologiæ, sine hoc vana & vacua est linguarum omnis peritia.—Lingvas dispeSCI in mortuas s. eruditas, & hodiernas s. vernaculas, omnibus notum. Inter has (præter patriam linguam) speciatim Germanicam, Gallicam & Anglicam multiplici de causa necessarias esse patet, quia uberrima sit librorum in quovis genere Scientiarum his lingvis, maxime Germanica, exaratorum copia. Inter eruditas vero jure eminent Latina, ut dudum stabilita nullisque mutationibus obnoxia, elegans, copiosa, & immenso fere eruditionis apparatu tam antiquorum quam Recentiorum Scriptorum abundans.

dans. Frustra objicitur: nos posse e versionibus limpidam haurire veritatem, adeoque originali hac & erudita lingua carere; Nunquam enim satisfactum est cultioris orbis desiderijs, nec unquam satisfiet in hoc negotio, quantumvis intensissimo studio laborent nostratium multi. Eruditorum propria semper manebit hæc dudum recepta lingua, in cujus locum inepte alia vernacula substitueretur. Ceterum Auctores Classici Latini & Græci optimo subsidio sunt ad interpretationem Sacram, cui male quis se addiceret sine prævio studio veterum, qui artem oratoriam, historiam ceterasque æstheticas, ut quoque philosophicas scientias, tanta cum laude tractarunt. Critica quoque profana, Sacræ illius fundamentum haud spernendum sternit; Habent quippe omnes antiquæ lingvæ multa cum nostris, & in dicendi genere, & antiquitatibus ritibusque, communia.

Grammaticam Lat. lingvæ cognitionem adjuvabit SCHELLERI *Latbeinische Sprachlehre*, s. E. J. *Præcepta stili Lat*, Grammatica Marchica, SANCTII *Minerva*, NOLTENII *Lexic. Antibarbarum*, TURSELLINI de *partic. orat. Lat.* DAHL *Gramm. Lat.* RABE *Septuaginta Latini*, e. q. r. (Lexica GESNERI, SCHELLERI, CALEPINI, LINDBLOM optime nota). Græcæ lingvæ theoriam dabit Grammatica VELLERI Edit. FISCHER; VIGERUS de *Idiotismis Gr. diction.* BOS *Ellipses Gr.* cet.  
(The-

(Theſaurus STEPHANI, IV Tom. Fol. a paucis poſſidetur, HEDERICI vero Lex. manuale, ex Edit. Ernſti, comparari poteſt, & optime eſt notæ; Lexicon Græco-Germanic. SCHNEIDERI Lingvæ Gr. in recens idioma flexit.

Historicam introductionem in Scriptores Græcæ & Lat. lingvæ tradit compendiarium HARLES *Historia lingv. Gr. & Ej. Brevior notitia litteraturæ Romanæ.* Recententur ibi Editiones Auctorum clallicorum.

In Antiquitatibus veterum Gr. & Rom. adeant titones ESCHENBURG *Handbuch der klaffiſch. Litteratur.* POTTERS *Gr. Archaeologie,* BOS *Antiqu. Græcas,* NIEUPOORT *Rituum Rom. explicat.* CELLARII *Compend. Ant. Rom* — Geographiam antiquam, CELLARII *notitia orb. antiqu.* D'ANVILLE *Atlas Antiquus,* & *Compendium Geographiæ antiquæ,* exponet. Mythologiam veterum explicat SEYBOLD *Einleit. in die Griech u. Rôm. Mytbol.* DAHL *mythol. Lex. cet.* Pleniorẽ expetens univerſæ Litteraturæ Græcæ & Romanæ cognitionem uſumque, adeat NÖSSELT *Anw. f. angeb. Theol.* FABRICII *Biblioth. Lat. & Græcam.*

§. 5. Poſt ſtudium Lingvarum, Theologo futuro maxime neceſſaria eſt *Philofophia* arctiori ſumta ſenſu, quo generalem rerum omnium, ſpeciatiim vero animi humani naturam explicare dicitur, conf. NÖSSELT cit. l. 1.

§. 169 - 170. Mittimus vero Recentiorum Criticorum methodum dispescendi Philosophiam in puras s. Theoreticas, & empiricas s. practicas; nulla enim est pars philosophiæ, quæ non empirica est & experientia nostra suffulta, sive inde derivata. Melius, si quæ divisio adoptetur, nonnulli Philosophiam dividunt in *Elementarem & Applicatam*. Pro diversitate objecti, sive illud sit materia sive forma, recte ad Philosophiam refertur *Metaphysica, Logica & Practica Philos.* s. morum & juris natur. doctrina. *Metaphysica* continet *Ontologiam*, scientiam generalem de entibus & eorum attributis; *Psychologiam*, de animi humani natura; *Theologiam Naturalem*, de Deo utpote perfectissimo Spiritu; (*Cosmologiam* s. de natura mundi, ad Phylisicam melius retuleris). *Logica* tradit præcepta ad intellectum hominis, *Philos. Moralis* ad animum morumque habitum rite formandum; quibus scientiis etiam quodammodo adjungi poterit *Grammatica & Æsthetica*. Ut vero necessitas & dignitas harum Scientiarum omnium a nemine negari aut ignorari potest; ita nexus earundem cum Theologia tantus est, ut male calculos suos ponant, qui elementa hæc philosophica negligunt. Etenim quomodo veritates omnes religionis revelatæ commode elici, ex Scriptura demonstrari & ad præxin applicari possunt, nisi mens ipsa imbuta sit cognitione sui omniumque facultatum animi,

aut

aut nisi adlveta sit arti judicandi rerumque ordinem observandi e. s. p. Omnes ergo partes philosophiæ examinandæ & animo instillandæ antea sunt, quam Theologiæ Christianæ salutamus adyta. Quoniam autem hoc fiat ordine, dissentiant quidem Philosophi, & perinde est, modo nulla omittatur. Logica & Philos. Moralis, utpote in plerisque applicata Scientia (quia applicat intellectum & voluntatem ad studium veri & boni), præsupponit omnino ideam & elementarem cognitionem animi (Psychologiam), quare hæc ordine prior salutari deberet. Interim tamen pro more vulgatiõri pædagogico Logicam, utpote artem cogitandi, præmittimus Theologo addiscendam.

*Logica* est scientia intellectum instruens in cogitando, & veritate eruenda atque cum aliis comunicanda. Unde patet, tum generalem præceptionem idearum simplicium & compositarum, judiciorum ac ratiociniorum, tum quoque specialem methodum applicandi intellectum ad veritatis cognitionem, huic Arti inesse. Proinde in *Elementarem & Methodicam* s. applicatam dispelci commode potest. Elementaris tradit observationes de ideis, judiciis ac ratiocinatione, generalissimis his operationibus mentis, prout experientia ipsa easdem probat & confirmat. Methodica autem docet modum, quo intellectus ipse has possit ideas formare sibi veras atque eum aliis

aliis communicare; immo quoque cognitionis humanæ principia, criteria & terminum explicabit. Et quia multa sunt veritatis impedimenta, errores quippe & præjudicia, igitur methodo hæc omnia debellandi opus erit. Vera a falsis discernere — quam sublimis, quam utilis labor! Sit igitur Theologus bene in hoc genere præparatus, ut Divinam & longe verissimam cognitionem religionis sibi aliisque perſuadere possit. Hæc præcepta dabit HOLLMANNI *Logica*, REIMARI *Vernunftlehre*, KIESEWETTER *Logik*, ERNESTI *initia doctrinæ solid.* Provectoribus commendentur LOCKE *de intellectu humano*, WATTS, KANTII, cet. scripta. Ceterum vero, licet Logica quædam naturalis omnibus ferme hominibus sit familiaris, & pro intellectus cujusque perspicacia justaque observatione multos possit ad veritatem cognoscendam manuducere, juvabit tamen semper systematico modo hanc artem tractare & ediscere.

*Ontologiam* (quam Critici philosophiam Transcendentalem appellant) otiosius quidem sæpe fuisse tractatam, haud diffitendum est; interim æquitas jubet, generalissimas observationes de ente & ejus affectionibus s. prædicatis, de tempore & spatio cet. non omnino abjicere. Caveamus modo, ne sub analysi ipsa rerum hic occurrentium, spinolis nos aliosque implicemus disquisitionibus, quæ sive captum humanum longe exsuperant, sive

minus



minus fructuosæ sunt. Præstat sensum communem ac experientiam sequi, indeque abstractas formare notiones modorum & rerum, quam subtiliter omnia eruere velle. Præcipua ontologiæ elementa, studiosis Theologiæ profutura, exhibet *Ernesti* Init. doct̃r. solid. & *Locke* cit. L. Profundiora qui quærit, adeat *Wolfii* & *Kantii* opera.

*Psychologia* (quæ pars est Pneumatologiæ), doctrinam sistit de anima humana ejusque diversis facultatibus. Tota quanta empirica est atque ab experientia desumpta; nam quæ rationalis & pura dicitur, ratiociniis constat & observationibus sensui communi familiaribus. Quanta sit hujus Scientiæ utilitas ad informandum Theologum, patebit ex ipso objecto, quod tractat. Humanus animus certe summa diligentia in id enitatur, ut se ipsum cognoscat, suasque experiatur vires; Aliter enim non potest in emendatione sui multum proficere. Psychologicis ex principiis sciendum est, qualis sit sensualis naturæ, memoriæ, phantasiæ & affectuum vis, ut depravationis ac mali moralis causam causa pietatis & fidei natura, libertatis & moralis nostræ naturæ vim cum Divina gratia & Spiritus Divini efficientia conferre possimus, nec repugnantiam rationis & gratiæ insulse fingamus. Utilissimum erit, operationes ac facultates animi omnes, sive quoad intelligendum, sive sentiendum, appetendum, & libere volendum, indagare,

gare, ut easdem dirigere, excitare, flectere, ac animos persuadere Auditorum rite possimus. Catechetica & Homiletica ars exactam harum rerum postulat peritiam. Elementa hujus Scientiæ hauriant tirones ex ERNESTI *In. doctv.* LOCKII *Comp. de intell. bum* MEINER *Grundrifs d. Seelenlebre.* Uberiorem notitiam dabunt FEDER *üb. d. menschl. Willen,* TETENS *philos. Vers. über die menschl. Natur,* MENDELSON *Philos. Schriften,* KANT *Critik.* — WOLF, al.

*Theologia Naturalis* tanto magis cognoscenda, quanto certius sit, eandem præcipua sua ex parte esse e Revelatione hautam & inde confirmari. Etenim idea Dei, sive rationis puræ demonstrata principiis (*transcendentalis*), sive ex analogia mentis humanæ & consideratione mundi formata (*Moralis, Teleologica*), non quidem stricto sensu empirica est, sed sensui communi familiaris, ac digna quæ investigetur. Ut plurimum ergo in Theologia Dogmatica retractari solet. Juvabit vero scripta REIMARI *Natürl. Theol.* KRYGER, DERHAM *Physico & Astro Theol.* CLARKE *discourse on attrib. of God,* KANT *Religion innerhalb d. Grenz, d. Vernunft,* cet. perlegisse, antequam Dogmat. Theologia adeatur. Caveant vero sibi religionis Christianæ alumni ab intempestivo ac ipinolo nonnullorum disferendi modo & naturalismi infano patrocinio.

*Practicam*